Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1397
Quelle:
Copyright:

set? *Exemplum*, ait *fol.* 17. *in fluuio Wysla, qui semper idem in numero manet quo ad formam, licet partes illius fluuii cottidie variantur sibi inuicem succedentes.* Ex his jam, donec certiora quis doceat, conjecturam formare licet, bipertitum hunc solidum Tractatum referendum esse ad *Stephanum Dolanensis* in *Moravia* Carthusiae Priorem, a. 1421. denatum, multis in hoc argumento Scriptis clarum, quae *Bern. Pezius* T. IV. P. 2. *Thes. Anecd. col.* 149. in lucem emisit, quamvis Tractatus hujus notitiam non acceperit, ut in *Dissert.* praevia p. XI. videre est.

III. *fol.* 109. *Incipit tractatus de corpore cristi sancti thome De acquino vt aliqui dicunt.* Et ita extat inter ejus Opuscula in Edit. *Rom.* 1570. f. T. XVII. *n.* 58. ejusque nomine jam antea saepius utroque *Vol.* a nobis relatus est. At dubio Librarii nostri adstipulati sunt Bibliothecarii Ordinis, qui illum ad *Albertum M.* transtulerunt, ut alibi notavi. Initium: *Venite comedite panem meum* &c.

IV. *fol.* 193. *Nota Equiuocacionem huius nominis Ecclesia.* Initium: *Quia in equiuocacione huius nominis Ecclesia multi decipiuntur hanc ipsam equiuocacionem ignorantes in errores incidunt alios inducunt. Ideo necessarium est significatum huius termini Ecclesia non ignorare. Accipitur enim hoc nomen Ecclesia sex modis.* Hi porro Modi exponuntur. *Wiclefistis* hoc Scriptum obpositum fuisse in *Bohemia*, liquet *fol.* 194. p. 2. e captis exemplis: *tales sunt multe ecclesie uel Metropolitane secundum multitudinem episcopatuum ut ecclesia Pragen. Ecclesia luthomiss. sten. ecclesia Olomucen. &c. uel partiales in Ecclesia Metropolitana sicud ecclesia Gurimen. ecclesia Sacens. Brodens. Veronen. Veronam* hic *Beraun* intellige, quemadmodum *Maut*, *Hohenmaut* etiam *Mutina*, *Wodnian Aquae*, *Laun Luna* &c. a quibusdam, fortasse a *Caroli* IV. tempore, dictum est, ne quis forte de Civitatibus *Italiae*, aut *Galliae* rem esse putet.

V. *fol.* 200. Epistola data a. 1430. cui subscripti *Procopius*, *smahors*, *koranda*, *savisz*, *smolich Capitanei Boemie*, ad *Honorabiles Prouidos Honestos dominos Consules Et totam Communitatem diuites et pauperes Civitat.* Hoc ingressu: *Ut deus omnipotens pater per dilectum filium suum Ihesum christum in spiritu sancto vobis et omnibus christianis aperiat intellectum et illuminet corda cum lumine sue diuine iusticie et in eo permanere usque ad finem firmiter et stabiliter hoc desideramus nos uobis pro salute. Vos Honorabiles — audite et considerate cum speciali diligentia verba presentis litere que vobis est missa de Bohemorum patria.* &c. Ad Provincias igitur vicinas directa est et plena gravissimis Cleri catholici incusationibus, cujus injustos, ut ajunt, *Articulos* XVI. exponunt, adduntque *quatuor Puncta* sua, sive notos illos Articulos de Peccatis publicis, de Possessionibus Cleri, de